LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

PROGRAMM

des

Gymnasiums zum heiligen Kreuz

in Dresden

womit

zu dem Valedictions-Actus

am 18. März

und zu den öffentlichen Prüfungen der Klassen

am 19. 20. und 21. März

ergebenst einladet

das Lehrer - Collegium.

1. Quid Plato de animae mundanae elementis docuerit. Scripsit Martinus Wohlrab.
2. Schulnachrichten vom Rector.

Dresden,

Druck von E. Blochmann und Sohn.

1872.

Quid Plato de animae mundanae elementis docuerit.

Plutarchi de animae procreatione in Timaeo Platonis. Opp. mor. p. 1012—1032[1]).

M., Gedanken über die Welt-Seele des Plato. Walch's Philologische Bibliothek. I. Göttingen. 1770. p. 1—14[2]).

Christoph Meiners, Betrachtungen über die Griechen, das Zeitalter des Plato, über den Timaeus dieses Philosophen und dessen Hypothese von der Weltseele. Vermischte philosophische Schriften. I. Leipzig. 1775. p. 1—60.

August Boeckh, Ueber die Bildung der Weltseele im Timaeos des Platon. Daub und Creuzer's Studien. III (1807). p. 1—95. Haec commentatio nonnullis additis repetita est in A. Boeckh, kleine Schriften. III p. 109—180.

Godofredus Stallbaumius, Schola critica et historica super loco Timaei Platonici de animae mundanae elementis. Lipsiae. 1837.

Hermannus Bonitz, Disputationes Platonicae duae. Dresdae. 1837.

Harum disputationum altera (p. 47—88) est de animae mundanae apud Platonem elementis[3]). Exposita est hujus libelli summa a G. H., Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1837. p. 829—45.

Friedrich Ueberweg, Ueber die Platonische Weltseele. N. Rhein. Museum f. Philolog. IX. (1854) p. 37—84.

---

[1]) Argumentum hujus libelli legitur in H. v. Stein, Sieben Bücher zur Geschichte des Platonismus. II p. 277 not. 1.

[2]) Hanc commentationem David Peipers Gottingensis in litteris ad me datis ab eodem Christophoro Meinersio scriptam esse docuit, cujus altera de eadem re dissertatio deinde commemoratur. Nam philosophus ille in scriptis miscell. p. 22 suam laudat commentationem, quae in bibliotheca philologica I. 5 subscripto illo M. legitur. Etiam aliae scriptiones, cujus auctor in bibliotheca philolog. littera M., significatur, repetitae sunt quamvis mutatae in scriptis ejus philosophicis. Eadem ratione Meinersius quae de anima mundi commentatus erat, emendata et aucta in scripta miscell. philos. recepit.

[3]) Quae a Stallbaumio in schola critica et historica de animae mundanae elementis scripta sunt, ea Bonitzius docuit plena esse errorum. Eum frustra refellere conatus est Stallbaumius et in Jahni annal. 1837 p. 266 sq. et in Timaei editione Gothana p. 491 sq. In hac dialogi editione ipsa sententiam paullo mutatam protulit, quam unam respiciemus.

De particula quadam Timaei Platonici explicaturus non alienum esse arbitror praefari de auctoritate et vi, quam summus philosophus quaestionibus illis de rebus physicis institutis tribuat. Hac autem de re ipse Timaeum fecit uberius exponentem illa oratione, quam habuit statim postquam deos invocavit, ut coeptis suis adspirarent[1]).

Timaeus discernit inter id, quod semper est, nunquam fit, et id, quod semper fit, nunquam est. Alterum quia semper eadem se ratione habet, intellegentia et ratione, alterum quia fit et perit, vere autem nunquam est, opinione et sensu rationis experte comprehenditur. Id autem, quod gignitur, auctore aliquo gigni necesse est. Itaque cujus artifex id, quod eadem ratione semper se habet intuetur, id pulchrum, cujus artifex eo utitur exemplari, quod factum est, id non pulchrum fit. Iam vero mundus ortus est, referendus enim est in earum rerum numerum, quae sensibus percipiuntur; nam quae sub sensus et opiniones cadunt, ea satis apparet fieri et facta esse. Illud vero considerandum est, utrum exemplar imitatus artifex creaverit mundum. Quoniam autem mundus est pulcherrimus, optimus artifex, facile intellegitur ad similitudinem illius exemplaris, quod ratione et intellegentia comprehenditur et semper idem est, mundum esse effictum. Itaque hunc mundum necesse est simulacrum esse exemplaris sempiterni atque respondere huic utriusque necessitudini orationem, quae de his rebus explicet. Quamobrem ubi de rebus dicendum est, quae stabiles sunt et immutabiles, orationem par est constantem esse et talem, qualis redargui non possit, ubi de simulacris imitatis et effictis, verisimilitudinem satis est consequi. Eadem enim ratio, quae est inter fieri et esse, inter probabilitatem est et veritatem. Quae cum ita sint, haud sane est mirum, quod de diis ortuque mundi disserens oratione utitur, quae sibi non omnino constet, et si probabilia dicit, nihil ultra requirendum erit.

Hoc Timaei prooemium Socrates[2]) valde laudat. Eo quod demonstratum est posse tantum probabilia dici de physicis, id in initio alterius dialogi partis[3]) simul cum deorum imploratione repetitur. Quoniam autem multum refert, quo quid loco dicatur, hoc sane non neglegendum erit in prooemiis Platonem de hac re exposuisse. Nec vero in disputatione ipsa idem non dicit. *τὰ εἰκότα* se sequi profitetur p. 56 C 59 D 62 A 67 D 72 D, *τὸν εἰκότα λόγον* p. 30 B 55 D 56 A B 57 D 68 B 90 E, *τὸν εἰκότα μῦθον* p. 59 C 68 D, quibus locis nihil discriminis est inter *λόγον* et *μῦθον*, sed utroque narratio ipsa significatur[4]).

---

[1]) p. 27 D — 29 D.
[2]) p. 29 D.
[3]) p. 48 D.
[4]) Cf. Wyttenbach. annot. ad Phaed. (61 B) p. 127 sq.

Plato igitur physicis cognatam esse duxit orationem verisimilem, non veram. Hujus rei causa quae sit, etiam in totius disputationis prooemio expositum est. Ex eo enim cognoscimus veritatem et verisimilitudinem a Platone non omnibus rebus tribui. *Ὅτιπερ*, inquit[1]), *πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίστιν ἀλήθεια.* His Plato quid significet, plene et penitus cognoscimus collato loco, qui legitur de rep. VII 533 E sq. *Ἀρέσκει γοῦν — τὴν μὲν πρώτην μοῖραν ἐπιστήμην καλεῖν, δευτέραν δὲ διάνοιαν, τρίτην δὲ πίστιν καὶ εἰκασίαν τετάρτην· καὶ ξυναμφότερα μὲν ταῦτα δόξαν, ξυναμφότερα δ' ἐκεῖνα νόησιν· καὶ δόξαν μὲν περὶ γένεσιν, νόησιν δὲ περὶ οὐσίαν· καὶ ὅτι οὐσία πρὸς γένεσιν, νόησιν πρὸς δόξαν, καὶ ὅτι νόησις πρὸς δόξαν, ἐπιστήμην πρὸς πίστιν καὶ διάνοιαν πρὸς εἰκασίαν*[2]). Inde videmus Platonem pariter atque in Timaeo discernere inter *γένεσιν* et *οὐσίαν*, inter fieri et esse. Ei, quod ortum habet, *δόξα* opinio, ei, quod vere est, *νόησις* intellegentia respondet. *δόξα* autem in duas partes dividitur, prout pertinet ad res ipsas, quae sensibus percipiuntur, aut ad talium rerum imagines; altera dicitur *πίστις* persuasio fides, altera *εἰκασία* imaginatio opinatio e rerum simulacris oriunda. Etiam *νόησις* bipartita est; ea intellegentiae pars, quae ad meras ideas refertur, *ἐπιστήμη* scientia est, ea autem, quae ad ideas a rebus abductas, *διάνοια* ratiocinatio. Respondere igitur videmus varios scientiae et opinionis gradus idearum et rerum generibus, ita ut de rebus, quae sub sensus cadunt, nunquam quidquam veri, de ideis autem nunquam dici possint probabilia.

Quae cum ita sint, satis cognoscitur maximam Timaei partem, cum sit de ortu rerum sub sensus cadentium, versari in iis considerandis, quae probabilia sint[3]). Sed non totus hic dialogus est de physicis. Saepe commemorantur ideae, quarum simulacra sunt res adspectabiles, dicitur etiam de summo deo, qui omnium est parens, de diis inferioribus, qui summi dei mandata exsequuntur. Omnino rerum ortus non physicorum more describitur, sed de eo narratur quasi de rebus a diis gestis. Ex hac rerum dissimillimarum conjunctione et nexu explicationis genus pendet, quo Plato in hoc libro usus est. Fabulae enim id jure comparaveris. Inde etiam facile intellegitur, cur res non

---

[1]) Tim. 29 C. Quod quam perverse explicatum sit a C. F. Hermanno (Pl. Philos. p. 700 n. 701), vix credibile est. Recte ei adversatus est Susemihl, Pl. Phil. II p. 321 n. 187.

[2]) Optime hunc locum illustravit Steinhart. V. p. 217 sq.

[3]) Ueberwegius primum (Rhein. Mus. IX p. 76 n. 40) in Timaeo omnia esse probabiliter dicta asseveraverat, nihil mythice. Deinde (Untersuchungen über Plat. Schriften. p. 288 sq.) sententia paullulum mutata non mythice, sed symbolice Platonem locutum esse putavit; *μῦθον* enim semper esse de rebus incertis (Gorg. 523 A). Sed ex ipso Timaeo audimus (p. 22 C 26 C) *τὸ ἀληθὲς* inesse ei, quod *μύθου σχῆμα* habeat. Quamquam h. l. vis vocabuli *ἀληθοῦς* latius patere videtur, ita ut etiam verisimilia complectatur. Quae cum ita sint, non ita multum duco interesse inter symbolice et mythice dicta.

dialectice tractentur[1]), sed quasi factae sint, narrentur oratione continua, cur Plato harum rerum quaestiones laudabiles quidem dicat, sed minus graves atque quae ad animum oblectandum instituantur[2]).

Vidimus omnia, quae de physicis in Timaeo exposita sint, verisimilia esse. Rectissime igitur Herbartus[3]) dixit doctrinas illas de anima de materia cetera secludi ab earum rerum ambitu, quas proprie se scire Plato professus est.

Atque haec quidem haetenus; videamus nunc de eo Timaei loco, qui est de animae mundanae elementis. Summas eum difficultates interpretibus attulisse jam Plutarchus[4]) testatur. Eae autem quales sint, Cicero[5]) significat: *rerum obscuritas,* inquit, *non verborum facit, ut non intellegatur oratio, qualis est in Timaeo Platonis.* Ciceronis sententiam assensione comprobavit vir, qui magnam in hac re habet auctoritatem, Augustus Boeckh[6]). Quae cum ita sint, haud mirum est, quod Timaei interpretes maxime in rebus explicandis versati sunt, verba autem ipsa nimis neglexerunt. Sed res quoniam non satis intellegi possunt nisi verbis diligenter perpensis, factum est, ut virorum doctorum operae consumptae in dispellenda caligine, quae praestantissimo illi dialogo magna ex parte offusa est, ea vix respondeant, quae jam inventa sunt. Nec vero haec orationis Platonicae incuria explicationi ejus loci, qui est de animae mundanae conformatione, detrimento esse non potuit. Quae res cum ita se habere mihi videretur, aliquantum spei mihi affulsit fore ut, si ipsa Platonis verba magis sequerer, aliquot virorum doctorum errores tollerem et fortasse verisimiliora ipse docerem.

Locus ille Timaei, qui est de animae mundanae elementis, legitur p. 35 A sq. Eum jam transcripsi et varias librorum scripturas virorumque doctorum conjecturas addidi.

τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ξυνεκεράσατο οὐσίας εἶδος, τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου, καὶ κατὰ ταῦτα ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ. καὶ τρία λαβὼν αὐτὰ

---

1) Susemihl, Uebersetz. p. 848.
2) Tim. p. 59 c.
3) de Plat. systematis fundamento. p. 13.
4) c. 1. Cf. Sext. Empir. adv. math. I 301.
5) de nat. deor. II 5. 15.
6) de Plat. corporis mundani fabrica p. 3 (Kl. Schrift. III p. 229).

ὄντα συνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταὐτὸν ξυναρμόττων βίᾳ· μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας καὶ ἐκ τριῶν ποιησάμενος ἓν πάλιν ὅλον τοῦτο μοίρας ὅσας προσῆκε διένειμεν, ἑκάστην δὲ ἔκ τε ταὐτοῦ καὶ θατέρου καὶ τῆς οὐσίας μεμιγμένην.

1 *ἀμεροῦς* Plut. c. 1. *ἀεὶ* om. Par. F^{1}. *ἀεὶ καὶ κατὰ* Procl. in Tim. III p. 176 B, *καὶ* om. p. 185 B. *καταυτὸ* Ambr. s. *τὰ αὐτὰ* Procl. p. 176 B 183 B. *αὖ* om. Sext. Empir. adv. math. I 301. 2 *γινομένης* Flor. b n β, *γενομένης* Par. S Y Ambr. s, om. Sext. Emp. l. l. *μεριστῆς* om. Vind. $𝔜^{1}$. *ἐν μέσῳ* om. Sext. Emp. l. l. 3 *ξυνεκεράσατο* Par. A Pat. Vat. 𝔟 *Bekkerus*, *συνεκρούσα* Flor. x, *συνεκεράσατο* ς. *οὐσίας* — 6 *συνεκεράσατο* om. Par. F^{1}.
τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου sciolo cuidam tribuenda esse suspicatur *Hoenebeek Hissink*, animadv. criticae in aliquot Platonis Timaei locos p. 6. *αὖ πέρι* om. Sext. Emp. l. l. et Pyrrh. hypot. III 189, *Davisius* ad Cicer. de nat. deor. I 8, *Bonitzius* p. 52, inclusit *C. F. Hermannus*. *ὃν* [*πέρι*] conj. *Stallbaumius*. Cf. Bonitz l. l. *αὖ* [*πέρι*] *Steinhartus* (Plat. sämmtl. Werke. Von H. Müller und K. Steinhart) VI p. 243 et *Zellerus*, Philos. d. Griech. II^{2} 1 p. 491 not. 1.
4 *θατέρου* Par. F *Bekkerus*, *τοῦ θατέρου* Flor. x, *τοῦ ἑτέρου F. W. Wagnerus* (Platons Timaeos u. Kritias. Griech. u. Deutsch.) p. 42 cum ς et libris plurimis. *καὶ κατὰ ταῦτα* — 5 *μεριστοῦ* post *ξυναρμόττων βίᾳ* ponit *Steinhartus* l. l. *καὶ* om. Par. F Vat. 𝔬 Procl. p. 187 C. *καὶ κατὰ ταῦτα*] 'idque' Cicero de univ. 7. Legisse videtur *καὶ ταῦτα*. *ταῦτα* Par. A Y Vat. Θ Pal. Vat. 𝔢 Ven. Ξ Σ Vind. 𝔜 Mon. q Ang. *x* Ric. 𝔤 Flor. a b c n o β *Bekkerus*, *ταὐτὰ* ς cum Procl. l. l. Cf. Bonitz. p. 51 not. 2. *ἓν μέσον* Vat. $𝔬^{marg.}$ 5 *αὐτῶν*] *αὐτοῦ* Procl. 187 E, *Steinhartus* l. l. *Zellerus* p. 492 not. *τὰ* om. Procl. p. 187 C. *αὐτὰ* Par. A F Pal. Vat. 𝔟 Ven. Σ Ambr. s Flor. β Tub. Procl. p. 188 A *Bekkerus*, *αὖ τὰ Bonitzius* p. 68 et *Jules Simon-Suisse* (du Commentaire de Proclus sur le Timée de Platon. Paris. 1839) p. 160 cum * ς. 7 *αὐτὸν* Par. A Vat. 𝔬 Pal. Vat. 𝔟 Flor. x *Bekkerus*, *τὸ αὐτὸ* Plut. c. 1, *ταὐτὸ* * ς. *βίᾳ, μιγνὺς* — *οὐσίας· καὶ Bonitzius* p. 68. 8 *τῆς* om. Par. F. *ἐκ τῶν τριῶν* Pal. Vat. 𝔢 Ang. *x* Ric. 𝔤 Flor. a c o. *τριῶν ἓν ποιησάμενος ἔμπαλιν* Procl. p. 188 F. *τούτω* Pal. Vat. 𝔟, *τούτῳ* Par. A (teste Bastio). *εἰς μοίρας* conj. *Stephanus*. 9 *ὅσας*] *εἰς ἃς* Par. $F^{marg.}$ Plut. c. 1, *οὔσας* Procl. l. l. *δὲ*] *δὲ τούτων* Vat. 𝔬 Flor. x, om. Pal. Vat. 𝔟 Plut. c. 1. *τε* om. Par. F. 10 *τῆς* om. Procl. p. 191 A.

In explicando hoc loco prima difficultas e constructionis ratione oritur. Non satis enim apparet, quo referendi sint genetivi *τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς*. Stallbaumius verborum consecutionem hanc esse dicit *ξυνεκεράσατο εἶδος τῆς ἀμερίστου . . . οὐσίας καὶ τῆς αὖ . . . μεριστῆς τρίτον* (*εἶδος*) *οὐσίας*, in quibus per redundantiam quandam interjectum sit *ἐξ ἀμφοῖν*. Iure hanc dicendi rationem Martinus[1]) contortam esse judicavit nec minus eam, quam protulerunt Proclus[2]), Hoenebeek Hissink[3]), C. E. Ch. Schneiderus. Hi enim genetivos *τῆς ἀμερίστου* et *τῆς μεριστῆς οὐσίας* junxerunt cum *ἐν μέσῳ*, quemad-

[1]) études sur le Timée de Platon. I p. 347.
[2]) in Tim. III p. 186 A.
[3]) animadv. crit. in aliquot Pl. Tim. locos p. 5.

modum paullo ante[1]) dictum sit *οὕτω δὴ πυρός τε καὶ γῆς ὕδωρ ἀέρα τε ἐν μέσῳ θείς*. Sed quamquam, si verba hac ratione conjungimus, iis plane videntur respondere quae deinde sequuntur *καὶ κατὰ ταῦτα ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ*, tamen interpositum illud *ἐξ ἀμφοῖν* sane non habet, quo referatur. Ueberwegius[2]) *ἐξ* praepositionem positam esse putat *ἀπὸ κοινοῦ*, ita ut non solum ad *ἀμφοῖν*, sed etiam ad genetivos antecedentes *τῆς ἀμερίστου* et *τῆς μεριστῆς οὐσίας* pertineat. Sed haec praepositionis ellipsis poetis solis concedenda esse videtur[3]). Simpliciter vero horum genetivorum ratio ita explicari posse videtur, ut idem anacoluthi genus h. l. esse dicamus quod infra[4]): *ἡμέρας γὰρ καὶ νύκτας καὶ μῆνας καὶ ἐνιαυτοὺς οὐκ ὄντας πρὶν οὐρανὸν γενέσθαι τότε ἅμα ἐκείνῳ ξυνισταμένῳ τὴν γένεσιν αὐτῶν μηχανᾶται*. Hic enim ut accusativi, quos sequi debebat simplex *τότε ποιεῖ*, mutata dicendi forma *τὴν γένεσιν αὐτῶν μηχανᾶται* absoluti remanent[5]), ita Platonis menti, cum illos genetivos poneret, primum obversatum videtur verbum, e quo genetivus possit pendere, deinde scripsisse *συνεκεράσατο*, cui adjunxit *ἐξ ἀμφοῖν*. Sed tale anacoluthum quominus h. l. statuamus, ea est causa, quod non facile se offert verbum, e quo genetivus pendere possit, nisi forte dixeris e verborum conjunctione, qualis est *κρᾶσιν συνεκεράσατο*, eum pendere. Quae verborum conformationes omnes cum plenae sint dubitationum, amplectenda erit Steinharti[6]) interpretatio, qui *τῆς ἀμερίστου* et *τῆς μεριστῆς οὐσίας* genetivos partitivos dicit. Tales genetivi in Timaeo inveniuntur p. 33 D *χειρῶν δέ, αἷς οὔτε λαβεῖν οὔτε αὖ τινα ἀμύνασθαι χρεία τις ἦν, μάτην οὐκ ᾤετο δεῖν αὐτῷ προσάπτειν, οὐδὲ ποδῶν οὐδὲ ὅλως τῆς περὶ τὴν βάσιν ὑπηρεσίας* et p. 65 D *ὥστε ἀποτήκειν αὐτῆς τῆς φύσεως*.

Constructio verborum etiam in his impedita est et dubia: *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου καὶ κατὰ ταῦτα ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ*. Interpretum plurimi Ciceronem[7]) sequuntur vertentem: *tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset ejusdem naturae et alterius. τῆς τε ταὐτοῦ — θατέρου* igitur referenda esse putant ad *τρίτον οὐσίας εἶδος*. Bonitzius[8]) hos genetivos pendere dicit ex *ἐν μέσῳ*: tertiam commiscuit essentiae speciem, quae media sit inter naturam ejus quod semper idem

[1]) p. 32 B.
[2]) p. 39. Cf. Hoenebeek Hissink. p. 6.
[3]) Cf. Lobeck ad Soph. Aj. v. 397.
[4]) p. 38 D E.
[5]) Cf. Engelhardt. anac. Platon. spec. III p. 12.
[6]) VI p. 243.
[7]) de univ. 7.
[8]) p. 51.

est et naturam diversi. Eadem Boeckhii[1]) est interpretatio. Zellerus[2]) *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως κτλ.* pendere vult e praepositione *ἐξ*, quae paullo ante legitur. Hi omnes fere illa *αὖ πέρι* omiserunt cum Sexto Emperico, cujus hac in re fides mihi videtur nulla esse. Nam recte jam Bonitzius[3]) ex Pyrrh. hypot. III 189 colligi posse negaverat Sextum illa *αὖ πέρι* non invenisse in libris, cum ibi sententiam tantum Platonis afferret, non ipsa verba. Neque aliter judicandum erit de eo loco, qui est in libro adv. math. I 301. Ibi enim in verbis allatis paucis multa desunt, quae nemo adhuc e Platonis oratione removit. Non solum illa *αὖ πέρι* a Sexto omissa sunt, sed etiam prius *αὖ* post *καὶ* positum, deinde *γιγνομένης*, denique *ἐν μέσῳ*. Nimirum Sextus significare voluit Platonis non verba usque ad suam aetatem nondum esse explicata, sed sententiam[4]). Sextus autem si testis hac in re adhiberi posset, convinceretur a Proclo[5]), qui duobus fere saeculis post illum floruit atque illa *αὖ πέρι* servavit. *αὖ πέρι* autem qui retinuerunt, falso explicaverunt. *αὖ* Lindavius[6]) interpretatur: dico, Martinus[7]): *d'ailleurs*, Uebergius[8]): *jenes*. Vere contra Bonitzius[9]): particula *αὖ*, inquit, ut quae progressionem quandam significet, ita demum scriptor recte usus esse videbitur, si ad aliquid progreditur, quod novum sit neque in superioribus contineatur. Quae cum ita sint, a verbis *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι* novum enuntiatum ordiri apparet atque vertendum esse: deinde quod attinet ad naturam ejusdem et alterius, etiam hac ratione mediam inter individuam ex illis et per corpora dividuam composuit.

At ne haec quidem sine offensione legi possunt. Quid enim in illis *τοῦ ἀμεροῦς αὐτῶν* significat *αὐτῶν*? Plerique hoc pronomen prorsus neglegunt. Non interpretati sunt id Cicero Ficinus Boeckhius Bonitzius. Stallbaumius[10]) *αὐτῶν* refert ad duas illas naturas. Sed quid est *τὸ ἀμερὲς* et *τὸ κατὰ τὰ σώματα μεριστὸν* ejus naturae, quae est *ταὐτοῦ*, quid *τὸ ἀμερὲς* et *τὸ κατὰ τὰ σώματα μεριστὸν* ejus naturae, quae est *θατέρου*? Contra F. W. Wagnerus[11]) *αὐτῶν* refert ad *ἀμφοῖν*. Sed eum si sequimur, quaenam sunt *αὐτά*? *τὸ ἀμερὲς* et *τὸ κατὰ τὰ σώματα μεριστόν*. *αὐτὰ* igitur non significat totum, cujus afferuntur partes aliquae, sed illa ipsa significat, quae afferuntur.

1) p. 35 (Kl. Schrift. III p. 130). Untersuchungen über d. kosmische System des Platon. p. 19.
2) p. 492 not.
3) p. 52 not. 4.
4) Ueberweg. p. 39.
5) p. 187 C.
6) comment. in Pl. Tim. p. 41.
7) I p. 346.
8) p. 39.
9) p. 49. Cf. Zeller. p. 491 not. 1.
10) p. 135.
11) l. l. p. 236 not. 36.

Quare satis probabile est Platoni reddendum esse *αὐτοῦ*, quod legitur apud Proclum[1]). Illud *αὐτοῦ* autem referendum esse videtur ad *τρίτον οὐσίας εἶδος*, non cum Steinharto ita accipiendum, quasi nominativus sit *τὸ ἀμερὲς αὐτὸ*, *das an sich Untheilbare*; nam individui ideae hic non est locus.

Quae si ita se habent, hic locus sic reddendus erit: Partem substantiae individuae semperque eodem modo se habentis et partem ejus substantiae, quae in corporibus dividua fit, ita miscuit, ut tertium ex ambabus in medio oreretur substantiae genus; deinde natura ejusdem et alterius si respicitur, etiam hac ratione medium inter individuum ejus et per corpora dividuum composuit. Atque sumpta ea tria in unam omnia speciem commiscuit alterius naturam jungi recusantem vi cogens in idem. Temperans autem cum substantia et ex tribus cum unum fecisset, rursus hoc totum distribuit in tot quod conveniebat partes mistas illas omnes ex eodem et ex altero et ex substantia.

Postquam hunc locum grammaticorum rationibus explicavimus, jam aperiendum nobis est, quid Plato eo doceat de animae mundanae elementis. Primum igitur eorum, e quibus conflata est, dicitur *ἡ ἀμέριστος καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχουσα οὐσία* sive *τὸ ἀμερές*. Iam primum videamus, quid sit *τὸ ἀμέριστον καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον*, deinde quaeramus, quaenam h. l. vis sit vocabulo *οὐσίας*. Atque illud quidem dubitari nequit, quin jam antea[2]) dictum sit id, quod semper sit, ortum non habeat. Est igitur omnis motus omniumque temporum vicissitudinum expers[3]). Atque idem quoniam individuum est, *ἀκήρατον*[4]) jure dicitur. Deinde quod eodem modo semper se habet, intellegentia et ratione comprehenditur[5]). Id autem, quod sub intellegentiam cadit et semper idem est, exemplaris instar rebus subest[6]). Iam vero ea, ad quorum similitudinem omnia sunt efficta, constat esse ideas.

Nec vero ideas ipsas i. e. *τὸ ἀμέριστον καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον* Plato dicit primum animae mundanae elementum, sed *τὴν ἀμέριστον καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχουσαν οὐσίαν*. Haec *οὐσία* qua ratione accipienda sit, dubium esse non potest. Plato enim de partibus dicit, quibus composita sit anima mundi. Quare *οὐσίαι*, quae illae partes dicuntur, nihil possunt significare, nisi ea, quae quasi ultima rerum elementa per se

---

1) Cf. supra p. 7.
2) p. 27 D.
3) p. 38 A.
4) p. 41 D. Cf. Preller. hist. phil. n. 272 b.
5) p. 28 A. Cf. Ueberweg. p. 45.
6) p. 48 E.

cogitantur sive rerum substantias[1]). Quae cum ita sint, idearum substantiam jure dixeris a Platone primum animae mundanae elementum significatum esse.

Alterum, e quo conflata dicitur anima mundi, est *ἡ περὶ τὰ σώματα γιγνομένη μεριστὴ οὐσία* sive *τὸ κατὰ τὰ σώματα μεριστόν*. Hoc autem elementum quoniam est dividuum, etiam *σκεδαστὸν* dicitur[2]) atque, cum ei oppositum sit quod semper idem est, nunquam fit, id consequens est semper fieri, nunquam esse[3]). Iam quod fit et perit, revera autem nunquam est, opinione et sensu, qui rationis expers est, comprehenditur[4]), sub sensus cadit. Quod si dicitur *ὁρατόν*[5]), non solum id cerni posse significatur, sed quod visus sensuum praestantissimus habetur ideoque omnium sensuum instar est, omnino sensibus id percipi[6]). Id vero, quod sempiternae vicissitudini obnoxium est et sensibus percipitur, *μίμημα* dicitur *παραδείγματος*[7]) h. e. rerum universitas.

Sed ut ideae ipsae non inesse dicuntur in anima mundi, ita ne res quidem ipsae. Neque vero recte Plato res habere potuit partem ejus, in quo ideae jam contineantur. In rebus enim, quoniam idearum sunt simulacra, ideae jam insunt, quatenus iis inesse possunt. Ac Plato ipse anima mundi jam facta ortum esse dicit *πᾶν τὸ σωματοειδές*[8]). Quare necesse est idearum substantiae h. l. opponi substantiam, quae cum unis subsit corporibus, idearum nihil in se contineat. Talis autem rerum substantia nisi hoc loco in prima Timaei parte non commemoratur. Neque id mirum. Ea enim philosophus tantum utitur ad animam mundi conformandam pariter atque idearum substantia, cujus nullo alio loco a Platone fit mentio. Sed mirum cuipiam videatur, cur rerum illa substantia a Platone dicta sit *περὶ τὰ σώματα γιγνομένη μεριστὴ οὐσία* sive *τὸ κατὰ τὰ σώματα μεριστόν*. Hac ratione Plato cum alterum animae mundanae elementum describeret, nemini dubium erit, quin ejus menti jam obversatum sit id, de quo in altera dialogi parte disserere incipit. Ibi[9]) enim ideis et rebus earum simulacris, de quibus prima dialogi parte exponit[10]), adjungit tertium, materiam primitivam quam dicunt. Cujus de notione quamquam multum disceptatum est, tamen hodie inter omnes fere constat infinitum illud, quod omnis formae expers est, Platoni esse spatium[11]).

---

1) Ueberweg. p. 44. 55.
2) p. 37 A.
3) p. 27 E. Cf. Ueberweg. p. 45.
4) p. 28 A.
5) p. 48 E.
6) cf. Steinhart. V p. 218.
7) p. 48 E.
8) p. 36 D. Ueberweg. p. 46.
9) p. 48 E.
10) p. 27 E.
11) Steinhart. VI p. 115 sq. Zeller. p. 457 sq.

Cui si alterum animae mundanae elementum statuemus si non par, tamen cognatum esse, facile etiam, cur id Plato dicat *τὴν κατὰ τὰ σώματα γιγνομένην μεριστὴν οὐσίαν,* intellegemus. Quae minus recte Steinhartus[1]) interpretatur: *aus dem untheilbaren, in den Körpern werdenden Wesen,* recte Boeckhius[2]): *aus der an den Körpern theilbar werdenden (Substanz).* Id enim, quod in rebus fit dividuum, recte dici potest spatium; corpora enim partes quaedam sunt spatii. Spatium cum per se esset, quippe quod omnino infinitum erat, partes nondum habuit; jam intra id corpora ita nata sunt, ut idearum imagines in eo orerentur. Quare materia illa infinita dividi potuit et discerni atque partes ejus percipi potuerunt, quatenus corpora in eo conspiciebantur. Itaque id, quod sive circa corpora (*περὶ τὰ σώματα*) sive quatenus corpora sunt (*κατὰ τὰ σώματα*) dividuum factum est, recte dici potest respondere spatio[3]). Quamobrem anima h. l. conjuncta esse dicitur cum spatio; spatium autem quod subest corporibus, anima etiam in corporibus inest[4]).

Nec vero h. l. neglegendus est genetivus ille partitivus *τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς.* Ejus quae sit ratio, facile est perspicere. Non tota enim substantia individua et dividua ad animam mundi formandam deus summus abuti potuit; alioquin nisi in anima illa hae substantiae nusquam essent; sed tantum potuit utriusque substantiae delibare partem.

Ex duobus igitur his animae mundanae elementis tertium in medio miscetur substantiae genus[5]). Illud *ἐν μέσῳ* jam Proclus[6]) vidit non de loco accipiendum esse, sed de rei natura. Itaque ex ambabus tertium substantiae genus deus dicitur miscuisse, quod mediam inter utramque naturam haberet i. e. quod utriusque substantiae pari modo particeps esset. Neque aliter quae deinceps sequuntur *καὶ κατὰ ταῦτα ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτοῦ καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ* explicari poterunt[7]).

Proclus[8]) hanc *οὐσίαν* vult esse animae mundanae substantiam ipsam, quae medium teneat locum inter substantiam individuam et dividuam. Sed *οὐσία* si anima

---

[1]) p. 243.

[2]) p. 35. Untersuch. über d. kosm. System d. Plato p. 19.

[3]) Idem Zellerus videtur sentire. Dicit enim hanc substantiam p. 635 not. 6 *Räumlichkeit.* Antea (p. 494 not. 2) eam dixerat materiam corpoream *(das Körperliche, die sinnliche Substanz).*

[4]) Susemihl, Plat. Philos. II p. 352.

[5]) Hanc mixtionem neglegens Crantor quattuor animae mundanae elementa statuit: *τὴν νοητικὴν φύσιν ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχουσαν καὶ τὴν περὶ τὰ σώματα παθητικὴν καὶ μεταβλητικήν· ἔτι δὲ τὴν ταὐτοῦ καὶ τοῦ ἑτέρου.* Plut. c. 2.

[6]) p. 185 c. Cf. Hoenebeek Hissink. p. 6. Zeller. p. 494 not. 2. p. 495 not. 2.

[7]) Proclus p. 187 F.

[8]) Cf. Jules Simon-Suisse p. 158 sq. C. F. Hermannus p. 19.

ipsa est, quo jure a Platone ipso dicitur composita esse e tribus elementis[1])? Quamobrem una illa vocis *οὐσίας* amplectenda erit interpretatio, secundum quam significat substantiam[2]) nec jure Cicero in tantam vituperationem venire potest, qui *οὐσίαν* h. l. intellegit materiam[3]).

Plato postquam demonstravit, qua ratione animae substantia orta sit, transit ad ejus naturas, *φύσεις*. Tribuit ei *τὴν ταὐτοῦ* et *τὴν θατέρου φύσιν*. Quaeritur igitur, quae sit necessitas inter duas illas naturas et *τὴν ἀμέριστον καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχουσαν καὶ τὴν περὶ τὰ σώματα γιγνομένην μεριστὴν οὐσίαν*. Iam veterum Platonicorum nonnulli[4]) *ταὐτὸν* tribuerunt *τῷ ἀμερεῖ*, *θάτερον τῷ κατὰ τὰ σώματα μεριστῷ*. Eos secuti sunt recentiorum non pauci. Augustus Boeckh[5]) substantiam individuam, cui insit idem, putat esse unitatem (*μονάδα*), substantiam dividuam, cui insit diversum, dyadem infinitam (*ἀόριστον δυάδα*); ex utroque numero constare animam mundi. A Boeckhiana harum rerum explicatione non multum differt Stallbaumii[6]). Id enim, quod sit constans et immutabile, habere dicit *τὴν ταὐτοῦ φύσιν*, quod dividuum sit et mutabile *τὴν θατέρου*. Alterum esse Philolai illud finitum et finiens, alterum infinitum. Hermannus Bonitz[7]) *ταὐτὸν* dicit esse ideam identitatis, quam individuae naturae tribuit, *θάτερον* ideam diversitatis, quam cum dividua natura conjunctam esse putat. Idearum enim naturam cerni in constantia et identitate, res sensibiles, quoniam perpetuo mutentur, diversitatis nota significari. Fridericus Ueberweg[8]) *τὴν ἀμέριστον οὐσίαν* et *ταὐτότητα* idearum vult esse substantiam, *τὴν σκεδαστὴν οὐσίαν* et *ἑτερότητα* rerum substantiam, *οὐσίαν* ex iis ortam animam mundi. Franciscus quoque Susemihl[9]) *ταὐτὸν* idem dixit quod ideam, *θάτερον* idem quod materiam, ideam autem esse substantiam individuam, materiam autem substantiam, quae in corporibus dividua sit.

---

[1]) Cf. H. Martin. I p. 347 sq.

[2]) Boeckh. p. 40 sq. (kl. Schrift. III p. 134), kosm. Syst. p. 19. Ueberweg. p. 44. Zeller. p. 491 not. 1.

[3]) Martin. I p. 353. C. F. Hermann. de interpr. Tim. p. 18.

[4]) Proclus p. 187 D.

[5]) p. 37 sq. (kl. Schr. III p. 131 sq.), kosm. System. p. 19. Boeckhium refellerunt Bonitz. p. 66 sq. et Zeller. p. 495 not. 2.

[6]) Plat. Tim. p. 136 sq. Cf. Zeller. p. 495 not. 2.

[7]) p. 70 sq. Bonitzii opinionem refutavit Ueberweg. p. 46. 54 sq.

[8]) p. 43 not. 8. p. 54. Novam Ueberwegii interpretationem probari non posse demonstravit Zeller. p. 483 not. 1. p. 492 not. 2. p. 502 not. 1.

[9]) p. 353 sq.

Omnes hi Platonis interpretes errasse videntur Martino[1]) Steinharto[2]) Zellero[3]), qui Plutarchum[4]) et Proclum[5]) sequuntur. *θάτερον* enim non solum tribuendum esse dixerunt substantiae, quae circa corpora dividua sit, sed etiam conjunctum esse posse cum substantia individua, quod diversa sit a diverso, *ταὐτὸν* autem non solum adhaerescere substantiae individuae, sed etiam substantiae dividuae; nam ne esse quidem eam posse, si *ταὐτὸν* ei tribui non posset. Deinde *ταὐτὸν* si semper inesset *τῷ ἀμερεῖ*, *θάτερον τῷ μεριστῷ*, futurum esse, ut utrumque jam contineretur in animae substantia, quippe quae facta esset ex individuo et dividuo; itaque non satis cognosci, cur facta sit altera illa mixtio. Quamquam Martinus et Zellerus substantiam individuam dicunt magis cognatam esse *ταὐτῷ*, dividuam *θατέρῳ*. Sed quo id jure faciant, e Platonis oratione non cognosco.

Horum virorum argumentis quamquam multum tribuendum est, tamen vereor, ne Plutarchum et Proclum magis audiverint quam Platonem ipsum. Iure enim optimo Ueberwegius[6]) ad hanc rem explicandam locum attulit gravissimum, qui legitur p. 37 B: *λόγος δὲ ὁ κατὰ ταὐτὸν ἀληθὴς γιγνόμενος περί τε θάτερον ὂν καὶ περὶ τὸ ταὐτόν, ἐν τῷ κινουμένῳ ὑφ' αὑτοῦ φερόμενος ἄνευ φθόγγου καὶ ἠχῆς, ὅταν μὲν περὶ τὸ αἰσθητὸν γίγνηται καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος ὀρθὸς ὢν εἰς πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν διαγγείλῃ, δόξαι καὶ πίστεις γίγνονται βέβαιοι καὶ ἀληθεῖς· ὅταν δὲ αὖ περὶ τὸ λογιστικὸν ᾖ καὶ ὁ τοῦ ταὐτοῦ κύκλος εὔτροχος ὢν αὐτὰ μηνύσῃ, νοῦς ἐπιστήμη τε ἐξ ἀνάγκης ἀποτελεῖται.* Animae igitur agitatio dicitur oratio, quae pariter vera evadit, sive versatur in eo, quod idem est, sive in eo, quod alterum est. Si versatur in iis, quae sensibus percipiuntur et alterius circuitus non impeditus id, quod percipitur, cum tota anima communicat, firmae et verae nascuntur opiniones et persuasiones. Si vero anima versatur in iis, quae mentis et rationis sunt participia et ejusdem circuitus recte procedit et intellegibilia indicat, intellegentia et scientia necessario absolvitur. Haec qui legit, ei dubium esse non potest, quin *τὸ θάτερον* conjunctum esse dicatur cum rebus, quae sensibus percipiuntur (*τοῖς αἰσθητοῖς*), *τὸ ταὐτὸν* cum iis, quae animo et cogitatione comprehenduntur (*τοῖς λογιστικοῖς*). Iam vero quae sub sensus cadunt, ea vidimus esse *τὸ περὶ τὰ σώματα* sive *κατὰ τὰ σώματα μεριστόν*, ratione autem quae percipiuntur esse *τὸ ἀμέριστον καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον* sive *τὸ ἀμερές*. Sed quid est *ταὐτόν*, quid *θάτερον*? Harum

---

1) I p. 358 sq.
2) p. 97. 234. Cf. III p. 463.
3) p. 491 not. 1. p. 495 not. 2.
4) p. 1024 D.
5) p. 187.
6) p. 45 sq.

notionum definitionem Bonitzius[1]) recte repetit e sophista p. 254 D sq. Inde facile est intellegere *θάτερον* sive *τὴν θατέρου φύσιν*[2]) sive *τὴν θατέρου ἰδέαν*[3]) ideam esse diversitatis, *ταὐτὸν* ideam identitatis, ita ut recte jam veteres Platonis interpretes[4]) vocabula *ἑτερότητος* et *ταὐτότητος* substituisse videantur. Sed non satis esse videtur dicere *ταὐτὸν* esse ideam identitatis, *θάτερον* ideam diversitatis. Eadem enim res plerumque ita dicitur, ut cum aliis conferatur. Parilitatis autem vocabula[5]) Plato etiam ita usurpat, ut ejus ipsius rei, quae eadem dicitur, naturae rationem habeat; *ταὐτὸν* igitur hoc sensu est id, quod semper eadem ratione se habet et sibi constat, *τὸ ταὐτὸν ἑαυτῷ*. Eodem modo *θάτερον* est aut id, quod ab aliis diversum est, aut id, quod, cum semper fiat et mutetur, sibi non constans est. Iam utra harum notionum explicatio h. l. sequenda sit, ambigi non potest. Primum enim illud *ταὐτὸν* Plato ipse videtur explicasse, cum idem significaverit *ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον*. Deinde si rebus *ἑτερότης* tribuitur, non ea id causa factum esse potest, quod diversae sunt inter se et ab aliis; nam eodem jure etiam ideae diversae dici possunt — sunt enim diversae inter se et ab aliis — sed diversum rebus bui necesse est propter earum naturam; simplices enim non sunt, quippe quae mutationibus obnoxiae sunt. Item ideae non dici possunt eaedem, prout cum aliis comparantur; nam eadem de causa res eaedem dici possunt; quamobrem ideis, quod eadem semper ratione se habent, *ταὐτότητα* tribui satis apparet[6]).

Quoniam autem cognovimus, quae sit necessitudo inter ideas et res atque inter idem et diversum, jam revertamur ad eum locum, qui nobis est explicandus. Plato igitur postquam docuit animae substantiam ortam esse e mixtione substantiae individuae et in corporibus dividuae, sic pergit dicere: *καὶ τρία λαβὼν αὐτὰ ὄντα συνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταὐτὸν* (h. e. *εἰς τὴν ταὐτοῦ φύσιν*) *ξυναρμόττων βίᾳ· μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας καὶ ἐκ τριῶν ποιησάμενος ἓν πάλιν ὅλον τοῦτο μοίρας ὅσας προσῆκε διένειμεν*. Substantiae igitur animae duae illae admiscentur naturae *ταὐτοῦ* et *θατέρου*. At enim dicunt nonnulli *ταὐτὸν* si insit *τῷ ἀμερεῖ, θάτερον τῷ ἀμερίστῳ*, non duabus opus esse mixtionibus. Audio; sed earum quae sit ratio non difficile est intellectu. Quidni enim deus summus primum e duabus substantiis animae fingere potuit substantiam, deinde ei addere eas naturas, quae illis

---

1) p. 69 sq.
2) soph. p. 255 D 256 D 257 C 258 A D.
3) soph. p. 255 E.
4) Plutarchus p. 1024 E Proclus p. 187 C al.
5) Cf. Stallbaum. ad remp. IX 585 C. Tim. 39 B 42 C 67 B.
6) Cf. de rep. X 596 A *εἶδος γάρ πού τι ἓν ἕκαστον εἰώθαμεν τίθεσθαι περὶ ἕκαστα τὰ πολλά, οἷς ταὐτὸν ὄνομα ἐπιφέρομεν*.

substantiis respondeant? Illud igitur qui obiciunt, primum prorsus sustulerunt discrimen, quod inter *οὐσίαν* substantiam et *φύσιν* naturam a Platone factum esse satis apparet [1]). Deinde non viderunt non eandem esse utriusque mixtionis rationem. Substantia enim individua cum ea, quae in corporibus dividua fit, ita temperatur, ut in substantia ex iis facta neutra jam amplius discerni possit. Huic autem substantiae non eodem modo duae illae naturae *ταὐτοῦ* et *θατέρου* admixtae sunt; alioquin non h. l. et p. 37 A praeter *οὐσίαν* commemoratae essent [2]).

Eum locum, quem modo interpretati sumus, Bonitzius [3]) sic scribendum putat et explicandum: ‘*καὶ τρία λαβὼν αὖ τὰ ὄντα ξυνεκεράσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταὐτὸν ξυναρμόττων βίᾳ, μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας. καὶ ἐκ τριῶν ποιησάμενος ἕν* etc. Et tria deinde adhibens entia in unam formam commiscuit, naturam diversi, mistu difficilem, invitam vi miscens cum eo, quod idem est, admiscens autem essentiam. Ita per *τρία τὰ ὄντα* non ad ea respicitur, quae antea commemorata sunt, sed ad ea potius, quae deinceps enumerantur, *ταὐτόν*, *θάτερον* et *οὐσίαν* neque aliud *οὐσία* significat, nisi quod ubique significat, ubi nude ac simpliciter usurpatur, essentiam sive *αὐτὸ τὸ εἶναι.*’ Bonitzius enim *ταὐτὸν* dicit esse individuum, dividuum circa corpora *θάτερον* atque animam, sicuti mista sit ex individua constanti et dividua diversi natura, ita in medio collocatam esse et idem inter et diversum, et individuam inter dividuamque naturam [4]). Sed primum Bonitzius discrimen, quod a Platone inter *οὐσίαν* et *φύσιν* factum est, prorsus neglexit. Deinde *τρίτον* illud *οὐσίας εἶδος* si ortum est ex eodem, quod individuum est, atque ex diverso, quod est dividuum, id quidem non satis intellegitur, cur paullo post non dicatur misceri cum essentia. Mirum in modum Plato mixtionem, quam modo commemoraverat factam esse, paullo post neglexisset [5]). Denique animam ipsam, ut non sit idea, ita etiam ex ideis compositam esse non posse optime docuit Uebergwegius [6]). Bonitzium hac in re secutus est Martinus [7]), qui *τρίτον οὐσίας εἶδος* intellegit *essence intermédiaire*, *τὴν οὐσίαν* autem *essence c'est-à-dire la participation à l'être.* Propter hoc discrimen, quod inter *οὐσίας* fecit, jure reprehensus est a C. F. Hermanno [8])

---

1) Primus e recentioribus recte inter *οὐσίαν* et *φύσιν* discrevit Steinhartus p. 97.
2) Boeckh. p. 40 (kl. Schrift. III p. 134). Ueberweg. p. 42. Zeller. p. 491 not. 1.
3) p. 68.
4) p. 51.
5) Ueberweg. p. 42.
6) p. 46 sq. 54.
7) I p. 350 sq. 380.
8) de interpr. Tim. p. 18 not. 57.

Stallbaumius[1]) τρίτον οὐσίας εἶδος idem esse putat quod οὐσίαν; Bonitzium vero ita sequitur, ut οὐσίαν dicat esse essentiam sive meram essendi possibilitatem, sed natam eam esse vult e finito et infinito, quae duo alia animae elementa ponit. Eadem fere C. F. Hermanni[2]) est interpretatio hujus loci. Existimat enim οὐσίαν esse essentiam ortamque esse ex ejusdem et alterius natura.

Novam Steinhartus[3]) protulit hujus loci explicationem. Deleto enim illo πέρι post αὖ posito et καὶ κατὰ ταὐτὰ — μεριστοῦ translatis post ξυναρμόττων βίᾳ genetivos τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ καὶ τῆς θατέρου partitivos esse putat et conjungendos cum λαβὼν locumque ita interpretandum, quasi illud λαβὼν repetitum sit: *dann wieder nahm er von der Natur des Selbigen und von der des Verschiedenen, nahm dann diese drei (das aus Theilbarem und Untheilbarem zusammengesetzte Wesen, das Selbige und das Verschiedene), mischte sie alle zu einer Form zusammen, mit Gewalt die schwer in die Mischung eingehende Natur des Anderen in das Selbige einfügend, und stellte sie hiernach in die Mitte zwischen dem an sich Untheilbaren*[4]) *und dem nach den Körpern Getheilten.* Sed nonne mirum est illud λαβὼν in eodem membro dupliciter constructum esse? Nonne offendit, postquam dictum est τῆς ταὐτοῦ καὶ θατέρου φύσεως λαβών, Platonem pergere καὶ τρία λαβὼν αὐτὰ ὄντα, ut taceam Steinharti medendi rationem justo esse audaciorem?

Fuerunt qui quod Plato hoc Timaei loco de anima mundi docuit ita explicare studerent, ut alios ejus libros respicerent similiaque ex iis afferrent. Eorum facile primus habendus est Plutarchus[5]) qui τὴν ἀμέριστον οὐσίαν intellegit animam, quae de leg. X 896 E εὐεργέτις dicitur, τὴν περὶ τὰ σώματα γιγνομένην μεριστὴν οὐσίαν eam, quae ibidem animae beneficae opponitur, ψυχὴν ἄτακτον καὶ κακοποιόν. Plutarchum secuti sunt Meinersius[6]) Tennemannus[7]) Martinus[8]) Ueberwegius[9]). Atque eorum interpretandi via quamquam per se est laudanda, tamen nescio an erraverint, quod Timaeum e libris, qui post eum scripti sunt de legibus, explicare conati sunt atque ex eo quidem loco, de quo multum disceptatum est a viris doctis[10]). Ibi enim quae de anima mala

[1]) p. 137 sq.
[2]) p. 21 sq.
[3]) p. 243 sq.
[4]) τὸ ἀμερὲς αὐτό. Cf. supra p. 10.
[5]) c. 6—9. 25. 26.
[6]) Philolog. Bibliothek. I p. 5 sq., Verm. philos. Schrift. I p. 37 sq.
[7]) Syst. d. Plat. Phil. III p. 175 sq.
[8]) I p. 356 sq.
[9]) p. 79.
[10]) Zeller. p. 636 not. 1.

exposita sunt nullo modo videntur concinere cum universa Platonis doctrina[1]). Non male igitur, quod Plato illo loco animam malam commemorat, ita Stallbaumius[2]) excusat, ut ibi eum communi loquendi more uti dicat et conveniente colloquentium captui, Steinhartus[3]) autem ita, ut Platonem, cum illa scriberet, magis respexisse dicat res objectas, in quibus praeter motus perfectos et rationis participes etiam inveniantur qui omnia turbare videantur. Quae res cum ita sint, quisque concedet, locum, qui a Platone ita scriptus sit, ut a vulgari populari que sensu non abhorreat, non jure quemquam posse adhibere ad interpretandum locum, quo philosophus de rebus reconditis et abstrusis subtiliter et eleganter disserat. Accedit quod in Timaeo ipso ne vestigium quidem reperitur animae illius maleficae. Scilicet in eo quidem, quaecunque sunt mala in rerum universitate, repetuntur e materia[4]). Nec recte dixeris animam inordinatum a ratione[5]) esse pacatam et digestam. Nam id, quod in ordinem redigitur, est πᾶν ὅσον ἦν ὁρατόν[6]), anima vero nulla cerni potest[7]). Quamobrem rectissime jam Boeckhius[8]) censuit animae maleficae in Timaeo nullum locum esse relictum.

Ex tribus igitur elementis ταὐτοῦ θατέρου οὐσίας Plato animam mundi secundum rationes mathematicas et harmonicas composuit. Totam autem ejus compagem in duos orbes divisit, in orbem ejusdem sive stellarum fixarum, qui est exterior atque dextrorsum torquetur h. e. ab oriente occidentem versus, et in orbem diversi sive stellarum errantium, qui exterior est et sinistrorsum movetur h. e. ab occidente orientem versus[9]). Stellarum fixarum orbis indivisus est, vagarum in septem dividitur partes[10]). Hac ratione ex anima pendet mundi vita et agitatio.

Post animam et intra eam deus omne fabricatus est, quod erat concretum et corporeum. Anima autem in totum mundum diffusa vitam agere coepit sapientem et sempiternam atque, quoniam ex tribus illis elementis ταὐτοῦ θατέρου οὐσίας conflata est, pro eorum indole ac natura vires suas exercet. Itaque si res, quae sensibus percipiuntur, attingit vel res, quae sub intellegentiam cadunt, discernit ὅτῳ τ' ἄν τι ταὐτὸν ᾖ

---

1) Zeller. p. 635 not. 6. Steinhart. VII 1 p. 313 sq.
2) ad l. l.
3) VII 1 p. 315 sq.
4) Zeller. p. 487 not. 4. p. 635 not. 6.
5) Martinus I p. 357 τὸν νοῦν ortum esse dicit e summo deo. Qua in re quantum erraverit, docuerunt Steinhartus VI p. 95 sq. et Zellerus. p. 487 not. 4.
6) Tim. 30 A.
7) Ibid. p. 36 E.
8) p. 25 sq.
9) Boeckh, kosm. Syst. d. Platon. p. 28—32.
10) Tim. 35 B — 36.

καὶ ὅτου ἂν ἕτερον, πρὸς ὅτι τε μάλιστα καὶ ὅπῃ καὶ ὅπως καὶ ὁπότε ξυμβαίνει κατὰ τὰ γιγνόμενά τε πρὸς ἕκαστον ἕκαστα εἶναι καὶ πάσχειν καὶ πρὸς τὰ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντα ἀεί[1]). Hoc loco Lindavius[2]) et multo ante eum Plutarchus[3]) rerum categorias quasdam a Platone significari dicit. Eum secuti sunt Martinus[4]) Wagnerus[5]) Steinhartus[6]) Susemihlius[7]). Non recte mihi fecisse id videntur. Errat enim Lindavius, cum dicit *ὅτῳ τ' ἄν τι ταὐτὸν ᾖ καὶ ὅτου ἂν ἕτερον* esse *τὸ τί ἐστι* sive *τὴν οὐσίαν*. Nam quae res sint pares, quae impares, comparando cognoscimus. Recte enim Stallbaumius *ταὐτὸν* et *θάτερον* h. l. logice, antea[8]) metaphysice accepit. Omnino hoc loco res non considerantur per se, sed earum conjunctio et necessitudo, ita ut optime Crantor eum videatur illustravisse: *οἱ δὲ περὶ τὸν Κράντορα μάλιστα τῆς ψυχῆς ἴδιον ὑπολαμβάνοντες ἔργον εἶναι τὸ κρίνειν τά τε νοητὰ καὶ τὰ αἰσθητά, τάς τε τούτων ἐν αὐτοῖς καὶ πρὸς ἄλληλα γινομένας διαφορὰς καὶ ὁμοιότητας, ἐκ πάντων φασίν, ἵνα πάντα γινώσκῃ, συγκεκρᾶσθαι τὴν ψυχήν*[9]).

Sed jam tempus est quaerere, quid tandem remoto omni mythico orationis genere Plato revera docuerit de animae mundanae elementis. Atque primum id sciendum erit a Platone mundum dici animal[10]), immo deum[11]), quoniam dei summi imago quaedam est. Animali et corpus est et anima. Animam deus mundo inseruit, ut ea rationis sit particeps[12]), quare anima medium quendam locum tenet inter rationem et corpus. Et corpus mundi et anima ex iisdem elementis composita sunt; alioquin corpus non posset moveri ab anima et anima, quae in corpore fierent, non cognosceret. Revera igitur anima, ut ita dicam, microcosmus quidam est. Universi autem mundi quoniam in se recepit initia, naturae ejus est particeps; easdem rationes, eosdem motus, qui sunt rerum caelestium, refert[13]). Rebus sic se habentibus inter animam mundi et corpus, si eorum spectamus elementa, nihil sane interest[14]); sed non video, cur id negandum sit. Anima

---

1) Ibid. p. 37 A B.
2) comment. in Plat. Tim. p. 50 sq.
3) p. 1023 E.
4) II, p. 49.
5) p. 265 n. 47.
6) p. 104.
7) p. 375.
8) Tim. 35 A 37 A.
9) Plut. c. 2.
10) p. 30 D 37 D.
11) p. 34 A B. Cf. Krische. Forschungen. p. 195 sq.
12) p. 30 B.
13) Cf. Trendelenburg. ad Arist. de an. I 3 11.
14) Plut. c. 2.

enim per se spectata principium est motionis[1]) et vitae, quae in mundo cernitur. Sed ipsa creata esse dicitur, ut sedes quaedam sit rationi et vinculum, quo cum corpore conjungatur. Itaque anima, quatenus ejus pars est corporum substantia, cohaeret cum corpore mundi, quatenus idearum substantia, necessitatem habet cum ratione. Ita efficere potest, ut mundus idearum sit capax, et ejus ope ratio omnia regit. Nec recte dicunt[2]) animam, quatenus ex idearum substantia facta sit, cognoscere ideas; nam ideas satis constat non anima comprehendi, sed ratione. Potius dicendum erit animam idearum substantiam quandam in se continere, quare sedem esse posse rationis, qua ideae cognoscantur, ita ut anima propterea idearum sit particeps, quod ratio ei insit; itemque animam rerum substantiam in se recepisse, ut facultas ei sit res sub sensus cadentes percipiendi. Etsi enim Plato non ipse dicat similia similibus cognosci, tamen ea ratio neque ab ea Timaei parte, quae est de anima mundi, neque ab universo hoc dialogo aliena est[3]).

In hac loci difficillimi explicatione me non fugit aliquot residere scrupulos haud tenues. Iure enim mireris, cur Plato *τὸ ἀμερὲς* partem esse dixerit animae mundanae una cum eo, quod ei est oppositum[4]). Mirum id quoque videtur esse, quod partem illius substantiae deus dicitur sumpsisse. Hoc quoque difficile intellegitur, qua ratione Plato idearum substantiam quandam potuerit effingere. Sed omnes hae dubitationes magis videntur inesse Platonis doctrinae ipsi, quam nostrae interpretationi. Plato enim cum animam illam mundi componeret, eo id consilio fecisse putandus est, ut vinculum quoddam idearum et rerum inveniret. Revera enim ambae, quod earum naturae inter se sunt oppositae, omnino non videntur misceri posse. Quod a Platone ipso non praetermissum esse satis cognoscimus. Dicit enim difficile fuisse *τὴν θατέρου φύσιν* conjungere cum *ταὐτῷ;* notae scilicet sunt rerum inter se oppositarum. Plato igitur cum haud ignoraret ideas cum rebus confundi non posse, non eas ipsas conjunxit, sed earum substantiam quandam, quam finxit. Hinc orta est illa partium animae descriptio, quae magnas habet difficultates. Rerum enim substantia sane respondere videtur spatio, quod etiam in altera Timaei parte commemoratur. Sed quid est idearum substantia? Ideae enim videntur posse neque e substantia quadam natae esse neque in unum conferri, ita ut substantia quaedam iis efficiatur, sed monadum sunt multitudo[5]). Cur autem Plato

---

1) C. F. Hermann. p. 23.
2) Zellerus p. 491 not. 1.
3) Cf. Trendelenburg. ad Arist. de an. I 2 7.
4) Proclus p. 185 F. Steinhart. p. 96.
5) K. Justi, Die ästhetischen Elemente in d. Plat. Philos. p. 151.

earum posuerit substantiam, satis apparet. Nimirum haec sola rerum substantiae recte potuit opponi. Quae cum ita sint, ideae et res a Platone non dici possunt apte conjunctae esse in Timaeo; anima enim mundi non videtur vinculum esse posse, quo res et ideae contineantur. Qua in re fuerunt qui philosophum ita excusarent, ut scriptionis genus dicerent esse mythicum, orationem verisimilem. Esto, concedatur hoc quoque, de anima mundi Platonem non potuisse dialectice disputare. Sed involucris illis omnibus remotis vereor, ne quae remaneant inter se sint pugnantia, ita ut ne probabilia quidem ea esse concedi possit.

Summas autem hic Timaei locus difficultates interpretibus propterea praebet, quod solus est de anima mundana similibusque afferendis parum potest illustrari. Quid, quod in eo quaedam reperiuntur, quae non solum nusquam alibi a Platone commemorantur, sed etiam ab universa ejus doctrina aliena esse videntur. Iam omnibus fere temporibus sunt, qui discrepantiam illam aut tollere aut minuere studeant. Eorum autem quamquam non vitupero studium, tamen tam diu vereor, ne anima mundi Platonica obscuritate involuta sit, quam diu de vinculo dubitant, quo ideae et res contineantur.
